

Haec acta ut publice prodeant, effecit, ut libri argumento convenit, consensio nationum duarum Italicae et Germaniae. Tabularium domesticum gentis illustris et vetustae Bononiensis comitum Malvezziorum de' Medici qui hodie possidet Iohannes, senator regni Italiae, intercedente filio Nereo non solum ut ederentur permisit, sed etiam cum typis exprimenda essent Berolini, eo ut transferrentur ipsi codices in tabulario regio ad tempus adservandi, potentibus nobis non negavit. Apographum autem hypothetic tradendum diligenter et perite confecit Carolus Malagola, tabulario regio Bononiensi praefectus. Huic Italorum liberalitati et doctrinae Germanorum respondit peregrinantium suorum memor pietas. Institutum Savignyanum quo tempore administrabat regia Academia Berolinensis, instante praesertim socio eius Georgio Bruns, cui ut opus absolutum videret fatum negavit, ii viri, quibus Academia Instituti curam mandaverat, acta haec per Ernestum Friedlaenderum, tabularii regii Berolinensis custodem, edi iusserunt sumptibus Instituti. Id cum ipsum impensis nequam sufficeret, adivimus precibus nostris duos viros excellentissimos Henricum Friedberg, qui iurisdictioni administrandae summo loco praeceps, et Gustavum de Gossler, summum curatorem litterarum publice promovendarum, iisque benigne intercedentibus princeps de Bismarck, imperii Germanici cancellarius, rem exposuit Augustissimo Imperatori Germaniae Guilelmo, isque quae deerant explevit.

Eorum virorum, quos acta haec Bononiensia recensent, notitia iusta postea publicabitur in supplemento huins editionis seorsum edendo.

A*

